

Hundertmark

1760

Biogr. er. D
228,84

Hundertmark, Carl Friedr.

MEMORIA

VIRI

AMPLISSIMI ET CONSVLTISSIMI

FRIDERICI LEBRECHT
STOLTZII

I. V. DOCTORIS, ADVOCATI IN CVRIA
SVPREMA PROV. SAXON. ET CONSISTORIO
LIPSIENSI

D. XXIII. IAN. A. C. MD CC LVIII.

PIE DEFVNCTI

CIVIBVS ACADEMICIS

ET POSTERITATI

COMMENDATA

AB

RECTORE

ACADEMIAE LIPSIENSIS

1760

logr. erud.

928, 84.

Vitt. Erud. Sing. - Vol. Schuco - 52

MEMORIA

VIRI

AMBASSADOR ET CONSUL

FRIDERICI FERRECHT

STOLTZII

I. M. DOCTORIS ADVOCATI IN CURIA

SACRAE MAJESTATIS CAESARIS

MAJESTATIS

IN REGNO BOHEMIAE

IN FERRECHT

CIVIS AC ACADEMICUS

ET

CONSUL

AN

1704

ACADEMIAE LIPSIENSIS



Cum ius et leges ab ipsa humanitate profectae sint, et barbaras gentes ab immanitate morum ad humanitatem vitae traduxerint: tanto quaeque gens maiori in honore non modo leges ipsas habuit, sed etiam eos, per quos eae causis iudicandis agendisque exercerentur, quanto ipsa esset ab humanitate cultior, et per hanc ipsam causam legum amantior. Equitibus Romanis, nulla in re antea diuersis a cetera plebe, nisi militiae paullo maiori honestate, secundum in ciuitate et medium inter Senatum plebemque locum dedit legum per iudicia exercendarum munus: nec alia certior via ad summos in republica honores patuit apud Romanos, quam industriae, ut *Cicero* appellat, hoc est, in causis forensibus agendis fidelis et peritae assiduitatis, quae etiam virtuti militari, apud bellicosissimum populum, dignitate coepit aequari.

Sed cum ius aliud priuatum et ciuile, aliud publicum esset, non quod nos dicimus, sed quod ad causas publicas pertineret, h. e. eas, in quibus securitas, et salus cetera reipublicae verteretur: maximo in honore fuere, qui talibus causis agendis, reos, capitis fortunarumque omnium periculum adituros, defenderent. Nec gloriosum fuit, in talibus causis vicisse, in quibus conspicua rei innocentia aduersus calumniatorum improbitatem, aut incertarum suspicionum leuitatem, defenderetur, sed etiam, quibus nocentes legum seueritati eriperentur, si nulla alia, nisi iuris et ingenii, vis adhiberetur. Humanus enim et tolerabilius videbatur, ut erat, nocentem subinde elabi legibus, quam innocentem fama, fortunis omnibus, vitaeque priuari. Itaque ut quisque vel genere

nobilior, et honestior, vel ab ingenio et eloquentia paratior fuit, ita magis reorum capita, quam causas priuatas defendit, quod in iis maior ingenii gloria, maior etiam, non modo apud ipsos, qui defenderentur, sed etiam apud populum, gratia proponeretur: et quoscunque causarum agendarum industria ad summa peruenisse traditum est, eos reperimus, non tam causis minutis, et ad priuatam ciuium vtilitatem pertinentibus agendis, quam reis defendendis, et a legum seueritate vindicandis, eo contentisse. Illos ipsos, qui iam principes essent reipublicae, *Africanos, Crassos, Antonios, Hortensios*, nihil fere aliud, nisi defendisse reos, constat, cum causas ceteras prope infra suam dignitatem esse iudicarent, illis bene agendis dignitatem etiam augeri, et illustrari putarent. Itaque etiam, in orationibus edendis, earum maxime rationem habebant, quibus defensiones criminum inessent; quod eas et expectari magis, et ad gloriam esse illustriores videbant. Atque ita profecto se res habet. In causis priuatis subtilitas magis quaedam et diligentia cernitur, in criminibus defendendis etiam ingenii vis, et copia. *Ciceronis* priuatarum causarum tres modo orationes habemus, pro *Quintio, Roscio Comoedo, et Caecina*. Eae quamquam subtiles sunt, et plenae artis, tamen quotus quisque legit, aut intelligere vult? Itaque si his, et similibus, *Ciceronis* eloquentia et ingenium spectaretur, actum prope esset de eius tanta gloria. Ceterae omnes iudiciales, praeter *Verrinas*, sunt publicarum causarum defensiones, in his regina omnium, de *Quintiliani* verissimo iudicio, *Miloniana*: iisque maxime fundatur ingenii Ciceroniani et eloquentiae gloria. Quid? *Demosthenis* cum multae extent priuatarum causarum orationes disertae, nec iniucundae lectu: tamen parum notae sunt vulgo, nec in celebritate famae versantur, quod ad eas legendas nemo fere accedit etiam ex iis, qui *Demosthenis* eloquentiam cognoscere cupiunt. Principatus *Demosthenicae* eloquentiae est in publicis, quibus vel accusauit reos, vel defendit. Atque id res ipsa docet. Nam in causis tenuibus, cuius generis sunt priuatae pleraeque, nulla est materia, in qua ingenium vim suam magnopere expromere, aut copia et ornatus oratorius locum habere possit: at in causis publicis, et ipsa magnitudo rerum aditum dat eloquentiae ornamentis et copiis, et ingenium varie se ostentare, indaganda callide veritate, suspicionibusque probabiliter vel roborandis vel frangendis, potest. Etenim, in causis talibus saepe numero maxime vera reperitur sententia philosophi, qui veritatem in profundo demersam dixit. Non saepe profecto longius remota est veritas ab sensibus humanis in rebus naturalibus, quam in factis,

in

in quibus saepe sub infinita propemodum περιστάσεων minutarum ambiguarumque mole latet; vnde eam protrahere, et in plena luce collocare, sane haud parui aut parum in rebus humanis vsu triti ingenii est. Sicut casus, vt ait *Cicero*, saepe ita imitatur veritatem, vt non casus sed veritas esse videatur: sic in rebus vitae humanae error saepe permultas ac prope omnes veri notas induit, fallitque non vehementer cautos et acutos. Sub hac igitur tanta specie veritatis latitantem, et vix minima sui se parte ostendentem errorem, tamen videre, aut veritatem, leuia admodum sui vestigia praebentem, deprehendere, qualis viri, quam vero paucorum putemus esse? cum plerosque videamus, in ipsos oculos incurrentem vel veritatem, vel errorem, et digito demonstratum, non cernere.

Nec vero Graecorum modo Romanorumque moribus praeclara, et laude plenissima fuit reorum defensio, sed nunc quoque praeclarum habetur, vt est, in eo genere bene solerterque versari. Nam etsi nostris moribus eloquentiae laus abest a talium defensionum facultate, quoad ea copia et ornatu rerum verborumque cernitur, ceterae tamen laudes omnes, ingenii, diligentiae, fidei, humanitatis denique, saluae sunt. Qui publice de iure respondent, nullas causas grauiiores putant iis, quae ad caput hominum pertinent, vt quae etiam, propter grauitatem, iis maxime committuntur, qui in causis tractandis ac iudicandis prope consenuerunt, tantamque in iis diiudicandis diligentiam adhibent, vt nisi multis manifestisque signis rem deprehenderint, nisi prope manibus teneant facinus, decernere contra caput hominis non audeant. Recte. Graue enim est de vita hominis, etiam leuissimi et contemptissimi, iudicare, quae omnium rerum humanarum maxima est, et semel amissa reuocari ac restitui non potest. Quodsi *Fimbria*, apud *Ciceronem* (*Off. III. 19.*) negauit, se sponsonem iudicaturum, quae in haec verba facta esset, *ni vir bonus esset*, ne aut probatum hominem fama spoliaret, aut bonum virum iudicaret, qui non esset, quorum vtrumque esset grauissimum: quam graue putemus, iudicare de vita hominis, quae ita cum summa infamia amittatur? Enimuero si magna diligentiae atque prudentiae laus debetur his, qui tales causas bene iudicant, profecto etiam, qui eas bene defendunt, defendendoque iudices in viam veri quodammodo deducunt, summa laude affici debebunt.

Atque in eo genere nuper apud nos inprimis valuit, **FREDERICVS LEBRECHT STOLTZIUS**, Vir iuris Consultissimus: qui cum in omni genere causarum, in foro agendarum, accurate feliciterque versaretur, tum inprimis se ad hoc genus causarum dederat, in eoque multis bonam operam nauauit, quorum defensio ei, vel priuatim, vel publice, esset mandata.

Itaque etiam in animo habuit, quae ipse in eo genere, vel ingenio, vel usu reperisset utilia, libro peculiari complecti, qui de modo causarum capitalium in foro disceptandarum (*de Processu Criminali*) inscriberetur, adiunctis XXXII. Defensionum talium suarum exemplis. Sed id opus, in quo plurimum temporis consumserat, inchoatum imperfectumque reliquit, oppressus ante tempus valetudine, quae primum rerum agendarum facultatem, et non ita multo post ipsam vitam eripuit. Sed bene est, quod alia sui virtutumque suarum monumenta reliquit in animis multorum, per quae memoria eius conseruaretur, cui etiam hoc Viri elogio consulendum putauimus.

Natus est in villa Dioeceseos Bornensis, *Breunsdorf*, anno huius seculi tertio, a. d. XII. Februarii, Patre IOANNE SIGISMUNDO, tum in illa villa sacerdote, post Archidiacono Glauchauensi et Pastore Meranensi, matre ANNA CHRISTINA WERNERIA. Auus paternus fuerat IOANNES SIGISMUNDVS, Pastor oppidi Francobergensis, idemque Dioeceseos Chemnicensis Senior et Adiunctus Superintendentis, natus patre SIMONE IONA, Consule Pirnensi, qui in matrimonio habuit MARIAM ELISABETHAM, IOANN. GEORGII PROMNIZII, Icti clari filiam: maternus autem, ADAMVS WERNERVS, Diaconus Werdenensis, in Hermunduris, cui nupta fuit SOPHIA WERNERIA. Primae pueritiae praeceptores habuit, praeter parentem ipsum, M. SIGELIVM quendam, post Scholae Glauchauensis Rectorem, M. LANGIVM. Inde, linguarum initiis rite perceptis, missus est in scholam Zuiccauiensem, cui tum magna cum laude praecerant M. VINHOLDVS, Rector, et M. MARTINI, Conrector: quorum disciplina, alterius etiam conuictu, cum quatuor annos usus esset, venit, de ipsorum iudicio et consilio, in hanc Academiam, ad maiores disciplinas percipiendas. Appulit animum primum ad Philosophiam, quam ab RVDIGERO et BIRNBAMIO didicit, post ad iuris legumque studium. Et iuris quidem civilis Doctores habuit LVDERVM MENKENIVM, I. FLORENTEM RIVINVM, DVNKLERVM, Canonici, STIGLIZIVM, CONR. fil. Feudalis autem ill. BAVERVM. Modum causarum agendarum tradidere SIGELIVS et KAESTNERVS. In horum doctorum scholis et disciplina cum tres annos summo cum studio consumsisset, ad causarum agendarum ius aditum sibi muniit, primum Exercitatione iuridica D. KOESELISII pro Cathedra rite defendenda, deinde examen legitimum apud Iure Consultos Vitebergenses subeundo: per quae cum cognita et spectata eius dignitas esset, anno duodetricesimo huius seculi in numerum Caussidicorum adscriptus est decreto regio. Ab illo statim tempore adiit forum, coepitque causas ita agere, vt mox
opera

opera eius a plurimis expeteretur. Quae res ei animum fecit altiora cogitandi. Itaque tertio anno post Doctoris honores petiit, et impetrauit ab Ordine Ictorum Erfordienſium, qui ei luculentum iudicii ſui teſtimonium impertiuit, laudata eius et in interpretando, et in reſpondendo dexterritate, et ſcientia: quo tempore etiam Exercitationem, *de Succeſſione Fiſci*, pro Cathedra diſceptauit. His honorum inſignibus in hanc urbem relatis, cum bonis artibus auxiſſet veterem famam, dignus habitus eſt, qui gener adſciſceretur a CAR. GOTFR. WINKLERO, D. et Senatorii ordinis Viro Praetorio, cuius de vita ſuperiori anno diximus, collocata ei a. XL. prid. Kal. Iun. filia maiori, IOANNA SOPHIA, ornatiffima virgine, qua cum omnem reliquam vitam, ſine prole quidem, ſed concordiffime exegit. Tribus annis poſt, aditus ei regio beneficio datus eſt ad agendas cauſſas maiores in Curia Prouinciali, et Conſiſtorio: iurisdictionisque villaticae procurationes a nobiliſſimis equeſtris ordinis viris ei mandatae ſunt. Per quae vt opportunitates vitae, ita labores aucti ſunt, quibus corpus non nimis robuſtum frangeretur, et grauibus periculofisque morbis aditus patefieret. Sed citius, quam quis crediderat, incubuit mali vis, atque corpus laboribus exercitum oppreſſit. Nam anno LV. menſe Nouembri, cum febris catarrhalis eum infeſtaret, ſpesque eſſet depellendi periculi, menſe poſt, repente ἀπὸ πλῆξης acceſſit, a cuius vi non modo corporis, ſed etiam ſenſuum partes quaedam torpebant. Aduocatus ego ad opem ferendam, adhibui, quaecunq; tactas malo partes fulcirent, atque excitarent, omnique ope excutere torporem membrum ac ſenſibus tentauit. Nec ſucceſſu res caruit, reſtituto non modo ceterarum partium, ſed etiam linguae uſu, et luce reddita ſenſibus, haecenus, vt maxime neceſſariis vitae humanae partibus ipſe ſufficeret: eratque ſpes, omnia paulatim reditura ad priſtinum vigorem, quae adhuc languoris aliquid a vi mali retinerent: cum ecce repente in deterius verſa ſunt omnia. Adorta enim eſt eum ſuperioris anni menſe Septembri febris quartana, coniuncta cum grauibus peſtoris oppreſſionibus, et doloribus: acceſſere menſe Decembri vehementes et diuturnae conuulſiones, quae, cum totum corpus frangerent, et debilitarent, omnem ſpem vitae retinendae ademerunt. Et tamen reſtitere tanto malo naturalis roboris reliquiae, traxitque vitam adhuc vltra quinque hebdomadas dierum, h. e. ad XXIII. diem Ianuarii ſuperioris anni, quo animus, diu vexatus malis corporis, euolauit ex illis moleſtiis ad coeleſtia et perpetua gaudia. Ad quae optanda, non magis malis corporis, quam ipſorum cogitatione pia et viuuda, incitabatur, quae etiam aſſiduis ſermonibus et alloquiis STEMLERI noſtri, V. S. R. ſuſten-

sustentabatur et alebatur. Et fuerat ille per omnem vitam rerum sacrarum studiosus, amore earum imbutus mature a patre et praeceptoribus, adfueratque frequens sacris, et exercitationibus pietatis publicis, per quae sensus pietatis acuitur, et excitatur, ut tanto facilius et altius penetrare ad animum oblatis sensus possent. Religiosae pietatis, ut doctrinae, documentum etiam dederat libro, vernacula lingua scripto (Lips. 1741. 8.) in quo de iurisiurandi in causis forensibus usu ita disputat, ut vehementer de abusu huius modi finiendarum litium, et leuitate hominum atque impietate in ea re queratur, de eiusque mali remediis consultet. Quo lenius etiam ferre obitum eius debent, Vidua Viri, Matrona Ornatissima, et quibuscunque arctior aliqua necessitudo cum eo intercescit: cum in his tantis miseriis Ciuitatis nostrae, quantas vix ante experta est, haud paullo beatiore sint, qui placide de vita decedant, quam qui earum praesenti sensu et adpectu cruciantur. Exuuias depositas sunt, ut voluerat, in aede Paullina, cui etiam, ut templis quinque villarum, in quibus iuri dicundo praefuerat, de pecunia sua legauit, non ille quidem magnas summas: quomodo enim? qui nihil haberet, nisi quod, in mediocri fortuna, et liberali vitae genere, comparisset ex iis, quae labore quaesisset? sed tamen, ut bona voluntas apparet grati erga ea loca animi demonstrandi, quae sibi vitae honeste agenda praesidia aliqua suppeditassent, cum multi, lautissime a patria habitati, ut ingrati hospites decedant.

Nos interea gratulemur Viro tranquillam felicitatem, quam discessu ex aerumnosa vita adeptus est, et ad eandem non modo votis, sed etiam recte et bene agendo, adspiremus.

P. P. Dom. II. post Epiphan. A. C. MDCCXL.

L I P S I A E,

EX OFFICINA WALTHERIA.

[Illegible text on a small white label at the top right edge of the page.]

[Illegible text on a small white label at the bottom right edge of the page.]